


Compendium

DIALLECTICÆ

FRANCIS. TITELMANNI,


ad libros Logicorum Aristotelis, admodum utile ac necessarium.



LEGDUNI,

Apud Joannem & Franciscum
Frellæos fratres.

M. D. XLI.



2

Compendium

DIALECTICÆ

FRANCIS. TITELMANNI,

ad libros Logicorum Ari-
stotelis, admodum utile
ac necessarium.



LUGDVNI,

Apud Ioannem & Franciscum
Frellæos fratres.

M. D. XLI.

A faint, circular stamp or mark is visible in the lower right corner of the page, partially overlapping the date.

OPERIS DIVISIO.

Hoc compendium sex absoluetur partibus.

Prima, de vocibus prædicabilibus.

Secunda, de prædicamentis.

Tertia, de Enuntiatione.

Quarta, de argumentationum speciebus.

Quinta, de locis dialecticis.

Sexta & postrema, de sophisticis re-
dargutionibus tractabitur.

De prædicabi-

LIBVS

PARS PRIMA.



LLVD IN PRIMIS AD-
uertendum est, in vniuersa
Dialectica determinatione,
principaliter fieri sermonem
de vocibus siue simplicibus
siue compositis, non tamen
de ipsis quatenus nudæ vo-
ces sunt, sed quatenus significatiuæ sunt rerum
ad quas significandas sunt impositæ. Vocum
autem simplicium, cum aliæ sint vniuersales, alię
indiuiduæ & singulares. Indiuiduum est, quod
de vno solo prædicatur. Vniuersale est, quod
prædicatur de pluribus. Indiuiduorū quatuor
sunt species. Alia enim vocatur determinata, vo-
cabula scilicet ad significandum determinatam
& certam rem singularem ex arbitrio imponen-
tium instituta. Alia vero sunt indiuidua ex de-
monstratione, cum videlicet terminum commu-
nem cum pronomine demonstratio sum-
mus, ad vnum aliquid particulare designandum.
Prædictis vero adiungunt vaga quædam indiu-

uidua: quæ scilicet vsurpatur ad vnum aliquid particulare singulariter significandum, non tamen determinant neque determinate indicant, neque ex nominis impositione, neque ex demonstrandi ratione quod sit illud singulare de quo fit mentio. Addunt quoque prædictis indiuiduū quod ex hypothesi, id est ex suppositione, nominant, quod videlicet in se quidem, quantum ex significationis suæ natura, vniuersale & commune est, facta tamen hypothesi, & suppositione aliqua, non nisi de vno particulari prædicatur. Dicitur & indiuiduum, quod consistit ex proprietatibus, quarum collectio nunquam in alio erit eadem. Diuiditur autem vniuersale in quinque species: nempe in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidēs. Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est. Ponit autem Porphyrius & alias duas generis acceptiones, sed minus ad philosophiam pertinentes: quarum vna, Genus dicitur, aliquorum quodam modo se habentium ad vnum aliquid & ad se inuicem, collectio. Altera vero, quod est vniuscuiusque generationis principium: vel ab eo qui genuit, vel à loco in quo quis genitus est. Species dicitur vniuscuiusque forma, quæ acceptio non est vsui Dialecticis. Secundum aliam autem acceptionem, quæ vsui est Dialecticis definitur species à Porphy in hunc modum: Species est, quod prædicatur de

pluribus differentibus numero in eo quod quid est. Quoniam specie ac numero differentium superius meminimus, Sciendum est tripliciter aliqua differre. Quædam enim solo numero differunt, quædam specie, quædam etiam genere. Numero enim differunt, diuersa indiuidua, sub eadem proxima specie posita. Differunt autem specie, quæ vel sunt species diuersæ, vel diuersarum specierum indiuidua. Differunt vero genere, quæ vel sunt diuersa genera, vel species, aut indiuidua sub diuersis generibus constituta. Totidem modos quibus aliqua dicantur eadem, colligere est facile. Species item dicitur quæ sub genere ponitur: & de qua genus in eo quod quid est prædicatur: Specialissimum est, quod cum sit species, non est genus. Vel etiam quod cum sit species, non diuiditur in species. Generalissimum genus est, quod cum sit genus non est species. Et iterum supra quod non est aliud superueniens genus. Subalterna sunt quorum vnum quodque genus & species esse potest, ad aliud quidem, & ad aliud sumptum.

	Generalissimum genus.	
Differentiæ		Differentiæ.
	Substantia	
Corporea	Genera	Incorporea.
	Corpus	
Animatum	Corpus animatū	Inanimatum
	Sensibile	
	Animal	Insensibile
	Rationale	
	Homo	Irrationale
	Species specialissima	
	Socrates, Plato.	

Ut triplex est differentia, sic tripliciter alterum ab altero differt. Communiter differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate quadam differt quocūque modo, vel à seipso, vel ab alio. Proprie differre alterum ab altero dicitur, quod ab aliquo, inseparabili accidente differt. Magis proprie alterum ab altero differt, quando specifica differentia differt. Porro differentia à varijs varie definitur. Primum differentia est, qua abundat species à genere. Deinde, quæ diuidit ea quæ sub eodem genere posita sunt. Præterea, differentia est, quæ de pluribus & specie differentibus, in eo quod quale quid est prædicatur. Proprii quatuor ponunt modos. Proprium primo est, quod accidit soli alicui speciei, sed non omni. Secundo, quod omni, & non soli accidit. Tertio, quod omni, soli, & aliquando, accidit.

Quarto autem modo proprium dicitur, quod omni, soli, & semper accidit. Definitur quoque proprium quarto id esse, quod prædicatur de pluribus in quale accidentaliter & necessario. Accidentis plures assignantur definitiones. Accidens enim est, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem. Et quod contingit inesse & non inesse eidem. Et quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium; semper autem est in subiecto subsistens. Accidens item est vniuersale, quod de pluribus contingenter natum est prædicari.

Secunda pars,

quæ de prædicamentis inscribitur.



DECIM sunt prædicamenta, intra quorum complexum rerum omnium nomina continentur. Hæc sunt substantia, quantitas, qualitas, ad aliquid, agere, pati, ubi, quando, situs & habitus: de quibus priusquam ordine tractetur, sciendum est nomen prædicamenti triplici significatione vsurpari apud philosophos. Interdum enim generaliter pro vocabulo quolibet, quod dicitur siue prædicari de alio, sumitur. Secundo prædicamentum

accipitur pro tota aliqua collectione & coordinatione generum ac specierum, sub vno aliquo genere generalissimo, secundum suum ordinem dispositorum. Tertio praedicamentum accipitur pro ipso quod est summum in aliquo praedicamentali ordine, nempe pro primo tantum & generalissimo genere. Ad quorum pleniorē intelligentiam isthaec praemittuntur: Aequiuoca dicuntur, quorum solum nomen est commune, & ratio substantiae secundum nomen diuersa. Est autem duplex aequiuocum, nempe aequiuocum à casu, & aequiuocum à consilio. Aequiuocum à casu dicitur, quod plura habet significata aequae principalia. Aequiuocum autem à consilio dicitur, quod plura habet significata, sed vnum principalius, & aliud minus principale, utpote propter similitudinem vel comparationem aut relationem ad significatum principale. De aequiuocis tres vulgo traduntur regulae, I Nullum aequiuocum ut aequiuocum, potest constitui in vilo praedicamento, neque vlla definitione potest definiri, neque diuisione diuidi. II Analogum per se positum stat pro suo significato potiore. III Aequiuoci non debet esse vsus in disciplinis, nisi fuerit distinctum. Vniuoca dicuntur quorum & nomen est commune, & ratio substantiae secundum nomen est eadem. Denominatiua dicuntur, quaecunque ab aliquo solo differentia casu, secundum nomen habent appellationem. Circa quam definitionem

aduerte, triplicia distingui solere denominatiua: nempe voce tantum, significatione tantum, voce & significatione simul, in proposito tamen sola definiuntur denominatiua voce & significatione. Ex praedictis triplex sumitur praedicatio, nempe aequiuoca, vniuoca, & denominatiua. Eorum quae dicuntur, alia secundum complexionem dicuntur, alia vero sine complexione. Quae sunt complexa & incomplexa, aut voce, aut significatione, aut vtroque alia sunt. Eorum quae sunt, alia de subiecto quodam dicuntur, in subiecto vero nullo sunt: alia in subiecto quidem sunt, de subiecto vero nullo dicuntur: alia de subiecto quodam dicuntur, & sunt in subiecto: alia vero neque in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur.

Quae per subiectam formulam facile quiuis deprehendat.

Substantia
vniuersalis
Dicitur de
sub. & non
est in sub.

Accidens
vniuersale
Dicitur de
subiect. &
est in sub.

Eorum quae sunt

Substantia
singularis
Neque dicitur
de sub. neque
est in sub-
iecto.

Accidens
singulare
Est in sub-
iecto, & non
dicitur de
subiecto.

In subiecto esse dico, quod cum in aliquo sit non sicut quaedam pars, impossibile est sine eo esse in quo est. Quando alterum de altero praedicatur ut de subiecto, quaecunque de eo quod praedicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur. Diuersorum generum & non subalternae natim positorem, diuersae sunt etiam secundum speciem differentiae. Subalternorum vero generum nihil prohibet easdem esse differentias. Eorum quae secundum nullam complexionem dicuntur, singulum aut substantiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut facere, aut pati. Substantia quae proprie, principaliter, & maxime dicitur, est, quae neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est. Secundae substantiae dicuntur species in quibus illae quae principaliter substantiae dicuntur, insunt: haec quidem & harum specierum genera. Secundarum substantiarum, species magis est substantia quam genus. Ipsarum vero specierum quae non sunt genera, una non est magis substantia quam alia. Sex sunt conditiones substantiarum. I. Commune est omni substantiae in subiecto non esse. II. Inest secundis substantijs & differentijs uniuoce praedicari. III. Omnis substantia videtur hoc aliquid significare. IIII. Inest etiam substantijs, nihil habere contrarium. V. Videtur substantia non suscipere magis aut minus. VI. Maxi-

me autem proprium videtur esse substantiae, cum unum & idem numero sit, contrariorum susceptibile esse. Quantitas (quae proxime post substantiam sequitur) est secundum quam aliquid dicitur quantum. Quantitatis, aliud continuum, aliud discretum. Quantitas continua est, cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem. Dicitur autem in proposito terminus communis aliquarum partium, quod est principium unius & finis alterius. Quantitas discreta est, cuius partes non copulantur per aliquem terminum communem, sed abinuem distinctae sunt & separatae. Quantitatis aliud constat partibus habetibus ad inuicem positionem: aliud constat ex partibus non habentibus positionem ad inuicem. Requirit autem ista partium ad inuicem positio, tria. Primum, ut partes alicubi sitae sint. Secundum, ut sint permanentes. Postremum ut continuae. Quantitatis vero tres conditiones assignantur. I. Quantitati nihil est contrarium. II. Quantitas non suscipit magis & minus. III. Maxime proprium quantitatis est, aequale vel inaequale dici. Vnde & aequalia sunt quae eandem quantitatem habent. Inaequalia quae diuersam. Ad aliquid communiter, talia dicuntur, quaecunque hoc ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quomodo libet aliter ad aliud. Relatiuorum proprietates sunt quinque numero. I. Contrarietas inest relationi. II.

Videtur relatiua magis & minus suscipere. III.
 Omnia relatiua dicuntur ad conuertentia. IIII.
 Videntur ad aliquid esse simul natura. V. Si quis
 definite nouerit vnum relatiuorum, definite no
 scet & reliquum. Ad aliquid proprie sunt, qui
 bus hoc ipsum esse, est ad aliquid quodammo
 do se habere. Relatiuorum quædam ipsæ, quæ
 dam diuersis nominibus referuntur. Qualitas
 est, secundum quam quales esse quidam dicun
 tur. Cuius quatuor sunt primæ species; Habitus
 & dispositio. Naturalis potentia & impotentia.
 Passio & passibilis qualitas. Forma & figura.
 Dispositio est qualitas insensibilis, acquisita, faci
 le mobilis à subiecto. Habitus vero qualitas in
 sensibilis, acquisita, difficulter à subiecto mobilis.
 Sunt autem habitus quidam corporis, & qui
 dam animæ, perinde atque dispositiones. Natu
 ralis potentia est, alicui congenita qualitas per
 quam potens efficitur ad aliquid agendum. Na
 turalis impotentia, qualitas congenita qua red
 ditur quiquam impotens ad agendum. Sub qua
 specie omnes tam animæ quam corporis vires
 ac imbecillitates naturales continentur. Quali
 tas diuturna sensum afficiens, vel ab affectione
 procedens, qualitas passibilis appellatur. Momen
 tanea vero, passio. Et hæc quoque vel animæ
 vel corporis existunt. Forma & figura est, cuius
 uis rei partium compositio, siue à natura, siue
 ab arte efficiatur. Quæ species, figurarum o-

mnium geometricarum nomina, rerumque ar
 tificialium comprehendit. Qualia sunt, quæ se
 cundum has denominatiue dicuntur, vel quo
 modolibet aliter ab his. Proprietates qualitatæ.
 I. Inest contrarietas qualitatæ. II. Qualia susci
 piunt magis & minus. III. Similia, & dissimi
 lia secundum solas qualitates dicuntur. Simi
 lia nanque sunt quæ eandem qualitatem habent.
 Dissimilia, quæ diuersam. Actio est, secundum
 quam in id quod subiicitur agere dicimur. Pro
 prietates. I. Suscipiunt agere & pati contrarietate.
 II. Suscipiunt agere & pati magis & minus. Pas
 sio est illatio effectusque actionis. Dicitur & ali
 ter passio, secundum quam id quod subiicitur
 pati dicitur. Actionum atque passionum quæ
 dam corpori, quædam animæ conueniunt. III.
 Passio primo infertur ex actione. Vbi, est cir
 cumscripção corporis locati, à loci circumscrip
 tione procedens. Proprietates. I. Vbi contra
 rietatem non habet. II. Vbi non suscipit magis
 & minus. Quando est, quod ex adiacentia tem
 poris in re temporali derelinquitur. Positio est
 quidam partium situs, & generationis ordina
 tio. Positionum vero, alia secundum naturam,
 alia præter naturam. Habitus est corporum &
 eorum quæ circa corpus sunt, adiacentia. Pro
 prietates. Habitus suscipit magis & minus. Ha
 bitus non suscipit contrarietatem. Absoluto
 prædicamentorum tractatu, quædam adiun-

guntur, quæ faciliorem eorum reddant intelligentiam. Oppositio est repugnantia duorum extremorum adinuicem, talis, vt neutrum illorum cum villo alio, simili modo repugnet. Oppositorum quatuor sunt species. Relatiua, contraria, priuatiua, & contradictoria. Relatiue opposita sunt, quæ ea ipsa quæ sunt oppositorum dicuntur, aut quomodo libet aliter ad ea. Contraria sunt, quæ sub eodem genere posita, maxime à se inuicem distant, ac eidem subiecto vicissim insunt, à quo mutuo se expellunt, nisi alterum insit à natura. Contraria immediata sunt, quæ talia sunt, vt in quibus nata sunt fieri, vel de quibus prædicantur, alterum inesse sit necessarium. Contraria mediata sunt, quorum non est necesse semper alterum inesse ipsi, in quibus nata sunt fieri. Priuatiue opposita sunt, quæ habent fieri circa idem subiectum ordine irregressibili, & tempore à natura determinato. Contradictorie opposita sunt, inter quæ non est dare medium. Prius quinque modos habet, qui duobus hisce versibus, ordine concluduntur. Tempore, natura, prius ordine, dic & honore. Causam causato, dicimus esse prius. Tres modos simul, sequentes versus comprehendunt: Tempore dico simul, quorum generatio nunc est. Quæ conuertuntur, dicimus esse simul. Suntque simul species, genus vnum distribuētes. Motus sex sunt species: Generatio, Corruptio, Aug-

mentatio. Diminutio, Alteratio, & secundum locum Mutatio. Generatio est progressio à non esse substantiæ ad esse eiusdem. Corruptio est progressio ab esse substantiæ, ad non esse eiusdem. Augmentatio est progressio à minori quantitate, ad maiorem. Diminutio est progressio à maiori quantitate, ad minorem. Alteratio est motus de qualitate in qualitatem. Loci mutatio est motus de loco ad locum, vel circa locum. Habere, octo dicitur modis. Aut enim aliquid qualitatem habere dicitur: vt habitum & dispositionem, scientiam (inquam) & virtutem. Aut quantitatem: vt magnitudinem, tricubitum, aut quadricubitum. Aut ea quæ circa corpus sunt: vt vestimentum, tunicam, vel gladium. Aut aliquid in corporis parte: vt in digito annulum. Aut partem, vt pedem, vel manum. Aut vt continens contentum, vt modius grana tritici, aut lagenam vinum. Aut possessionem, vt domum, vel agrum. Dicitur etiam & vir uxorem habere. Qui omnes modi duobus versibus explicantur. Affectum quantum, vestitum, dic velut aurum, Membrum, contentum, possessio, vir mulierem.

Tertia pars,

quæ est de enuntiatione.



ABSOLVTIS duabus huius instituti partibus, quibus de simplicium vocum ratione agebatur: proximum est, vt de compositis, hisque potissimum quæ verum falsumve significant, determinemus, quæ cum nominibus & verbis tanquam præcipuis partibus componantur, hæc primum nobis definienda sunt. Nomen igitur est, vox significatiua secundum placitum, sine tempore, cuius pars nulla est significatiua separata, finita, & recta. Vocum aliæ natura, aliæ ad placitum significant. Voces illæ naturaliter significant, quæ apud omnes homines vbiq; locorum siue gentium, idem significant. Illæ vero dicuntur secundum placitum significare, quæ non idem apud omnes homines representant, sed pro voluntate imponentium rem aliquam significant. Significare cum tempore, est præter significatum præcipuum, certam temporis differentiam designare. Significare sine tempore, opposito modo definitur. Verbum, est quod consignificat tempus, cuius pars nihil extra significat, & est semper eorum quæ de altero dic


ro dicuntur nota. Nota vero eorum quæ de altero dicuntur, est quod vel actu, vel potestate, prædicatum cum subiecto connectit. Oratio est vox significatiua cuius aliquid partium significatiuum est separatum, vt dictio, non vt affirmatio vel negatio. Diuiditur autem oratio prima sectione, in orationem perfectam, & imperfectam. Imperfecta oratio est, quæ sensum perfectum non generat in animo audientis. Perfecta autem oratio est, quæ sensum perfectum gignit in audientis animo. Diuiditur deinde perfecta oratio, in orationem enuntiativam, & non enuntiativam. Oratio perfecta non enuntiativa dicitur, quæ licet perfectum sensum gignat in animo audientis, non tamen verum aliquid vel falsum significat. Huiusmodi sunt omnes orationes deprecatoriæ, imperatiuæ, exhortatoriæ, optatiuæ, interrogatiuæ, & similes. Cuiusmodi orationum omnium nullus est vsus Dialectico, qui totus in hoc incumbit, vt quid verum & quid falsum, apprehendat. Enuntiativa oratio est, in qua est verum aut falsum. Ex qua definitione diuisio enuntiationis in veram & falsam, elicitur. Vera dicitur, quæ significat vt res habet. Falsa, quæ aliter. Enuntiationum insuper, alia necessaria, alia impossibilis, alia contingens. Necessaria ea est, quæ non potest esse falsa. Impossibilis, quæ non potest esse vera. Contingens, quæ tam veri quam falsi est capax. Tertio secatur

enuntiatio in simplicem & coniunctam. Simplex, est quæ aliquid de aliquo, vel aliquid ab aliquo enuntiat. In omni autem enuntiatione simplici siue categorica, duo sunt termini: quorum alter dicitur subiectum vel terminus subiectus: alter prædicatum vel terminus prædicatus. Subiectum est, id de quo aliquid dicitur. Prædicatum est, quod dicitur de altero. Enuntiatio coniuncta est, quæ composita est ex enuntiationibus simplicibus. Quarta diuisione enuntiationem in vniuersalem, particularem, & indefinitam distribuunt, quibus & singularem solent adijcere. Vniuersalis est, quæ omni aut nulli inesse significat. Particularis est, quæ alicui aut non alicui, aut non omni inesse significat. Indefinita est, quæ inesse aut non inesse significat, sine signo vniuersali aut particulari. Singularis, in qua subijcitur individuum. Diuiditur alio quoque modo enuntiatio, in affirmationem, & negationem. Affirmatio, est enuntiatio alicuius de aliquo. Negatio est enuntiatio alicuius ab aliquo. His de natura enuntiationum breuiter expositis, poscit ordo, vt ad enuntiationum simplicium oppositiones transeamus. Pro quarum facilliori & pleniori intellectu præmittendæ sunt duæ diuisiones, quarum prior hæc est: Enuntiationum, quædam vtroque termino, quædam altero, quædam neutro participant. Posterior, vtroque termino participantium, quædam secundum eum

dem ordinem participant, quædam vero secundum alium, & inuersum. Oppositio est affirmatio & negatio oppositæ. Cuius tres species assignantur. Contrariæ, subcontrariæ & contradictoriæ. Contrariæ enuntiationes sunt, si quid enuntietur vniuersali vniuersaliter inesse & non inesse. Subcontrariæ, si quid enuntietur vniuersali particulariter inesse & non inesse. Contradictoriæ sunt, affirmatio & negatio eiusdem de eodem, quarum altera significat vniuersaliter, altera vero non. Adduntur à nonnullis & subalternæ, quas ita definiunt: Subalternæ sunt, vniuersalis & particularis: affirmatiuæ, aut negatiuæ, eiusdem subiecti & prædicati, quæ tamen reuera non opponuntur.

B 2

Quæ omnia in hac figura ad oculum licet intueri.



Leges oppositarum enuntiationum. Lex cōtrariarum. Impossibile est, contrarias esse simul veras, simul autem falsas esse, est possibile. Lex subcontrariarum, Subcontrarias cōtingit simul esse veras, simul autem esse falsas non contingit. Lex contradictoriarum, Contradictoriæ non possunt simul esse veræ, nec simul falsæ, sed necesse est earum alteram esse veram, & alteram falsam. Lex subalternarum, Adijciunt posteriores legem pro subalternis, in hunc modum: Subal-

ternarum si vniuersalis sit vera, particularem cōsequitur esse veram, non autem econtrario. Et si particularis sit falsa, consequitur vniuersalem esse falsam, non autem econtrario. Enuntiationes autē oppositæ, per has tres regulas possunt reddi eædem, & æquipollentes. Prima regula, Si alicui signo vniuersali vel particulari præponatur negatio, æquipollebit suo contradictorio. Secunda, Si alicui signo vniuersali postponatur negatio, æquipollebit suo contrario. Tertia, Si alicui signo vniuersali vel particulari præponatur & postponatur negatio, æquipollebit suo subalterno. Vt oppositio & æquipollentia sic & conuersio, quædam est enuntiationum simplicium proprietas. Ea vero est, extremorū transmutatio qua è subiecto prædicatum fit, & è prædicato subiectum. Est autem conuersio huiusmodi, duplex: altera simplex, altera per accidens. Conuersio simplex est quando de subiecto fit prædicatum, & de prædicato subiectū, manente eadem quantitate, & qualitate enuntiationum. Conuersio per accidens est quando de subiecto fit prædicatum, & de prædicato subiectum, manente quidem eadem qualitate, sed quantitate mutata. Prædictis quoque adijcitur tertius modus cōuersionis, qui dicitur per contrapositionem, quæ sic definitur, Conuersio per contrapositionem est, quando de subiecto fit prædicatum & de prædicato subiectum, ser-

uata eadem qualitate & quantitate, sed mutatis terminis finitis in infinitos, & e contrario. Hactenus de simplicibus enuntiationibus. Nunc de coniunctis agendum est. Hæ vero sunt in triplici differentia. Aliæ enim conditionales, aliæ copulatiuæ, & aliæ disiunctiuæ dicuntur. Conditionalis est illa, in qua coniunguntur duæ propositiones categoricæ, per coniunctionem conditionalem. Copulatiua est, in qua coniunguntur duæ categoricæ per coniunctionem copulatiuam. Disiunctiua est, in qua coniunguntur duæ categoricæ, per coniunctionem aliquam disiunctiuam. Sub conditionali, rationalis, & causalis de facili comprehenduntur. De modalibus nihil omnino sumus dicturi: vel quod nihil aut parum uti litatis habeant, vel quod Dialecticæ rudibus adhuc, non censeamus huiusmodi proponenda, quæ qui scire volet, ipsum authorem adeat.

Quarta pars,

quæ inscribitur de syllogismo.



RAECIPVVS Dialecticæ finis est, de vnaquaque re proposita posse disputando veritatem inquirere, falsitatem refutare, qui finis cum non possit haberi nisi

alia ex alijs colligendo, restat vt post simplicium vocum & enuntiationum determinationem, argumentandi formas modisque, describamus. Sunt autem argumentationis formæ siue species quatuor: syllogismus, inductio, enthymema, & exemplum: de quibus hac parte erit tractandum, præcipue tamen, & omnium maxime de syllogismo, quæ est omnium specierum argumentationis præcipua & præstantissima; ad quam & ceteræ quodammo do, vt solent imperfectiora ad perfectæ, reducuntur. Primum itaque syllogismorum vis nobis est explicanda. Syllogismorum duplex est materia: propinquior, vt enuntiationes, de quibus abunde superiore parte tractatum est. Remotior, vt termini: pro quorum intellectu, hæc ex Aristotele subiicietur definitio: Terminus est, in quem resoluitur propositio, vt prædicatum, & de quo prædicatur. Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab his quæ posita sunt ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt. Diuiditur autem syllogismus, in syllogismum perfectum, & syllogismum imperfectum, qui ab Aristotele ita definiuntur: Syllogismus perfectus est, qui nullius alterius indiget præter ea quæ sumpta sunt, vt appareat necessarius. Syllogismus imperfectus est, qui vnus aut plurium indiget, quæ sunt quidem necessaria per sumptos terminos, non autem per sumptas propositiones. Vnde autem vim &

robore suæ illationis habeat syllogismus, breuius indicat Aristoteles, cum definit dici de omni & dici de nullo, hoc modo: Dici de omni est, quādo nihil est sumere subiecti, de quo non dicatur prædicatum. Dici de nullo, est quando nihil est sumere subiecti à quo non remouetur prædicatum. Ex quibus eliciuntur hæc duæ regulæ. I. Quicquid de subiecto quopiam dicitur vt de omni, dicitur & de quolibet subsumpto sub eo. II. Quicquid de subiecto quopiam dicitur, vt de nullo, remouetur à quolibet subsumpto sub eo. Sciendum autem in primis, quod omnis syllogismus simplex ex tribus tantum terminis constat, & ex tribus propositionibus. Horum autem trium terminorum vnus vocatur medium, alter maior extremitas, tertius minor extremitas. Medium est terminus, qui bis sumitur ante conclusionem. Maior extremitas est terminus, qui sumitur cum medio in maiori propositione. Minor extremitas est terminus, qui sumitur cum medio in minori propositione. Maior propositio illa proprie dicitur, in qua est principale robore syllogismi. Minorem vero illam dicimus, quæ minus videtur habere robore ad illationem. Veritamen in sequentibus ad vitandam confusionem plerumque maiorem appellamus priorem præmissam, minorem autem secundam. Ex horum autem trium terminorum varia dispositione triplex confurgit figura syllo-

gismorum. Contingit enim interdum medium subijci in vna præmissarum, & in altera prædicari, atque hinc confurgit prima figura. Interdum in vtraque præmissarum medium prædicatur, & hinc secunda nascitur figura. Interdum in vtraque subijcitur, et hinc oritur tertia. Antevero quam singularum figurarum modos in particulari describamus, ponendæ sunt & explicandæ regulæ aliquot generales: contra quas quicumque deprehenduntur peccare syllogismi, cuiuscumque sint figuræ, reijciendi sunt. I. Ex puris particularibus nihil syllogistice conficitur. II. Ex puris negatiuis nihil item conficitur. III. Si altera præmissarum fuerit particularis, conclusio quoque particularis erit. IIII. Si altera præmissarum fuerit negatiua, conclusio quoque negatiua erit. V. Medium nunquam ingredi potest conclusionem. Regulæ speciales primæ figuræ. In omnibus modis primæ figuræ directe concludentibus, minore existente negatiua, non valet syllogismus. In omnibus modis primæ figuræ directe concludentibus maiore existente particulari non valet syllogismus. In istis autem qui concludunt indirecte, non habent prædictæ regulæ locum. Concluditur indirecte quando maior extremitas in conclusione prædicatur de minore extremitate. Concluditur autem indirecte, quādo minor extremitas in conclusione prædicatur de maiore. Modus, proprie loquendo est duarum propositionum adiuicem

certa proportio siue habitudo, secundum debitam qualitatem & quantitatem. Tūc autem est qualitas debita, quando præmissarum vt minimum altera est affirmatiua. Tunc quantitas debita, quando vt minimū altera præmissarum est vniuersalis. Qui modi sint vtilis in prima figura, hæc vocabula artis quæ vulgo circumferuntur, oculis aperte subiiciunt: *barbara, celarent, darij, ferio, baralipton, celātes, dabitis, fapesmo, frifefomorum*, quorum significatio talis est, Prima syllaba significat cuius tum qualitatis tum quantitatis debeat esse maior syllogismi: secunda, qualis & quāta minor: tertia, qualis & quanta conclusio. Significatio autem ista, ex vocalibus est quatuor, a, e, i, o. A enim vniuersalem affirmatiuam significat, e vniuersalem negatiuā, i particularem affirmatiuam, o particularem negatiuam. Vbi aduertendum est, è nouem primæ figuræ modis quatuor primos directe concludere, reliquos autē quinq; indirecte. Pro syllogismis autem secundæ figuræ tres istæ ponuntur regulæ speciales. I In secunda figura, maiore existente particulari, nō valet syllogismus. II In secunda figura, ex puris affirmatiuis, nō valet syllogismus. III In secunda figura, semper concludi debet negatiue. Quatuor tantum modi vtilis in secunda figura inueniuntur: quibus hæc artis vocabula respondent: *Cesare, camestres, festino, baroco*. Vt valeant autem in tertia figura

syllogismi, hæc duæ regulæ speciales obseruandæ sunt. In tertia figura, minore existente negatiua, non valet syllogismus. In tertia figura, non potest concludi vniuersaliter, sed particularem semper oportet inferri conclusionem. In summa, tertiæ figuræ sex sunt vtilis, & syllogistici modi: qui sequentibus vocabulis declarantur: *Darapti, felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison*. Qui sex modi, vt & quatuor secundæ, directe concludunt. Ad quos accedunt duo modi indirecti *Fapesmo, & frifefomorum*, cum omnibus figuris sint communes. Summatim igitur colligendo omnes modos vtilis hactenus positos, inuenimus esse numero decem & nouem, qui in formam metri solent disponi, hoc modo: *Barbara, Celarēt, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frifefomorum, Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison*. Ex quibus quatuor primi certa de causa perfectiores habentur: & ad eos cæteri omnes tanquam imperfectiores reducuntur, singuli videlicet ad illum, cuius capitalem literam retinent. Fit autem dupliciter eorum reductio: ostensiuæ videlicet, & per impossibile. Ostensiuæ reducimus syllogismum, quando per medium conuersionis, aut transpositionis præmissarum, aut simul vtriusque, id facimus. Per impossibile vero reducere syllogismum est, eius bo

nitatem ostendere, per hoc quod negans deducitur ad aliquod impossibile. Totæ reductionis ratio characteribus quatuor, vocabulis artis insertis continetur. Hi sunt. M. P. S. C. quorum M præmissarum transpositionem: S & P propositionis per vocalem immediate præcedentem significant conuersionem. S quidem simplicem. P autem, per accidens significat, C vero in medio vocabuli artis designat non aliter reduci posse, quæ per impossibile, sumendumque esse conclusionis contradictorium, ut fiat reductio. Pone Aristoteles quædam, quæ vocant præsupposita, quæ in tractatu syllogismorum quasi cognita præsupponuntur, quorum Primum est, Omnis syllogismus est in aliqua trium figurarum: & omnes syllogismi aliarum figurarum per primam perficiuntur. Secundum, In omni syllogismo, aliquam præmissarum esse affirmatiuam, & aliquam vniuersalem, est necesse. Tertium, Omnis syllogismus ex tribus terminis & non pluribus constat. Quartum, Quædam propositiones difficulter syllogizantur, quædam facilius. Quatuor regulæ pro inuentione mediæ. Prima regula, Concludere volentibus vniuersalem affirmatiuam, sumendum est consequens subiecti & antecedens prædicati. Secunda, Ad concludendum particularem affirmatiuam antecedens ad vtrunque extremorum sumendum est. Tertia, Ad concludendum vniuersalem negati-

uam, sumetur cõsequens subiecti & extraneum ad prædicatum, vel consequens prædicati & extraneum subiecti. Quarta, Ad concludendum particularem negatiuam, sumendum est antecedens subiecti & extraneum prædicati. Sex syllogismorum ponuntur ab Aristotele potestates. Potestas plura concludendi, verum ex falsis syllogizandi, circulariter, conuersiue, ad impossibile, & ex oppositis. Plura concludit syllogismus vel per conuersionem, vel per subsumptionem plurium minorum extremitatū. Verum ex falsis syllogizamus, quando ex ambabus falsis aut altera nunc in toto nunc in parte, verum concludimus. Circulariter autem syllogizare est per conclusionem & conuertentem alterius præmissarum inferre reliquam præmissarum syllogismi prioris. Conuersiue syllogizare (iuxta Aristotelis definitionem) est ex opposito aut contrario cõclusionis cum altera præmissarum, interimere reliquam. Per impossibile syllogizatur, quando propositione aliquavera negata, proceditur ex eius cõtradictorio, cum alia propositione manifeste vera ad inferendum manifeste falsum: excusius interemptione consequenter fit regressus, ad interimendum contradictorium propositionis veræ negatæ: ac deinde ex consequenti, ad astruendam veritatem illius quæ à principio fuit negata. Syllogismus dicitur ex oppositis, in quo ex præmissis contrarijs vel contradictorijs

infertur cōclusio, in qua negatur idem de seipso. Subiungit quoq; prædictis Aristoteles tres syllogismorum defectus: quos breuissimis tantum perstringemus. Primus defectus est, petere principium: quod tunc ait fieri, quando in syllogismo aliquo non ostenditur propositum. Secundus appellatur nō propter hoc accidere falsum: quod tunc contingere dicit Aristoteles, quando syllogizando falsitas conclusionis illatæ, imputatur alicui propositioni in antecedente, quæ vere non est causa falsitatis conclusionis. Tertium defectum nominat Aristoteles, fallaciam cōtrariæ opinionis: quæ tunc contingit, quando aliquis fallitur, concedendo ambas præmissas duorum syllogismorum: ex quibus sequuntur duæ propositiones contrariæ vel contradictoriæ. De syllogismis hypotheticis. Syllogismi hypothetici sunt argumentationes quæ ex vna principali hypothetica propositione procedunt. Ponemus autem hypotheticorum syllogismorum aliquot modos, eos præcipue qui maxime videbuntur vtilis. Primus modus est, quando proceditur à tota conditionali, cum positione antecedentis, ad positionem consequentis. Secundus modus est, quando proceditur à tota cōditionali, cum destructione consequentis ad destructionem antecedentis. Tertius modus est, ex copulatiuis: quando à tota copulatiua ad alteram eius partem proceditur. Quartus modus est, ex copula

tiuis negatiuis, quando à copulatiua negatiua, cum positione alterius partis, proceditur ad destructionem alterius. Quintus modus est, procedendo à propositione disiunctiua affirmatiua, cum positione partis vnius, ad destructionem alterius. Sextus modus est, quando à propositione disiunctiua affirmatiua proceditur cum destructione vnius partis ad positionem alterius. Ponunt vero & alios quosdam modos hypotheticorum huiusmodi syllogismorum: sed quia iam enumerati sunt, magis certi magisq; in vsu prompti sunt. Antequam ad tres alias argumentationis species transeamus, syllogismum diuidemus in demonstratiuum, dialecticum, & sophisticum, singulisq; horum suas definitiones accommodabimus, hoc pacto: Demonstratio est, quando ex primis & veris syllogismus erit, aut ex talibus quæ per aliqua prima & vera, eius quæ circa ipsa est cognitionis principium sumpserūt. Prima & vera sunt, quæ non per alia sed per se ipsa fidem habent. Demonstratio etiam definitur syllogismus scientificus. Scire est causam rei cognoscere, propter quam res est, quoniam illius est causa, & quoniam non est contingere hoc aliter se habere. Demonstratio præterea est syllogismus ex veris & primis & immediatis & notioribus & prioribus causisque conclusionis. Dialecticus syllogismus est, qui ex probabilibus est collectus. Probabilia sunt,

quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his aut omnibus, aut pluribus, aut maxime probatis. Litigiosus, est syllogismus, ex his quæ videntur probabilia, non sunt autem: & qui ex probabilibus, aut ex his quæ videntur probabilia, est apprensus. Addit Aristoteles prædictis syllogismum falsigraphum, qui sub litigioso videtur comprehendi. Cuius definitio hæc est: Syllogismus falsigraphus est, qui procedit ex proprijs principijs disciplinarum male intellectis. Prius autem quam huic parti finem imponamus, nonnulla dicenda sunt & de alijs tribus speciebus argumentationis, de enthymemate videlicet, inductione, et exemplo. Enthymema est oratio, in qua non omnibus præmissis antepositis, festinata inferitur conclusio. Aristoteles vero ita ipsum definit: Enthymema est syllogismus ex icoibus & signis. Icos Græco vocabulo appellat propositionem in se probabilem. Signum vero appellat propositionem demonstratiuam aut necessariam. Inductio est, à singularibus ad vniuersale progressio. Exemplum est, quando vnum particulare probatur per aliud, propter aliquod simile in ambobus inuentum.

Quinta

Quinta pars, in

qua de locis dialecticis agitur.



V M dialectica duabus partibus, inuentione atque iudicio cõstet: traditaq; sit præcedenti tractatu argumentandi ratio quæ pertinet ad iudicium, nunc de inuentione nobis agendum est, quæ cum tota videatur in locorum cognitione consistere, à loci definitione ducemus exordium. Locus est sedes argumenti, vel id à quo ad propositam quæstionem conueniens trahitur argumentum. Appellamus autem argumentum rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem. Duplex ab authoribus locus assignatur. Nempe locus maxima, & locus qui est differentia maximæ. Locus maxima appellatur, generalis quædam propositio, per se nota, ex qua desumitur argumentum. Alio vero modo loci vocantur maximarum differentiarum propositionum: illi videlicet, quibus maximæ diuersæ, ab inuicem differunt. Locus diuiditur in locum intrinsecum, extrinsecum, & medium. Locus intrinsecus est, quando sumitur argumentum ab his quæ sunt de substantia rei de qua queritur. Locus extrinsecus est, quando sumitur argumentum ab his quæ sunt omnino separata à

C

substantia rei de qua quæritur. Locus medius est, quâdo sumitur argumentum ab his quæ partim cõueniunt, & partim differunt. Solet quoque locus intrinsecus subdividi, in locum à substantia, & à cõcomitantibus substantiâ. Locus à substantia dicitur, quâdo sumitur argumentum ab his quæ sunt de substantia rei. Locus autem à cõcomitantibus substantiâ dicitur, quâdo non sumitur quidem argumentum ab ipsa rei de qua quæritur substantia, sed ab aliquo quod substantiâ cõcomitatur. Facta generali locorum diuisione, restat de vnoquoque sigillatim prætractare, atque primis in ea quæ dicenda sunt apertius oculis subiecta clarescant, locos singulos hac figura complectemur.

L O C V S.

Intrinsecus,	Medius	Extrinsecus.
A substantia: vt,	A coniugatis,	Ab oppositis vt
A definitione,	A casibus,	A relatiuis.
A definito,	A diuisione,	Contrarijs.
Descriptione,		Prinatiuis.
Descripto,		Contradictorijs.
Interpretatione,		A disparatis.
Interpretato,		A comparatione, vt
A concomitantibus substantiam, vt		Maïorum
A toto vniuersali,		Similium.
A toto integrali,		Minorum.
A toto in quantitate,		A proportione.
A toto in modo,		A transmutata proportione
A toto in loco,		A dissimili.
A toto in tempore,		A disproportione.
A causa,		Ab authoritate.
Materiali,		A transumptione.
Formali,		
Efficiente,		
Finali,		
A corruptione,		
Ab vñibus,		
A communiter accidentibus,		

Definitio autem sic solet describi: Definitio est oratio indicans quid est esse rei, per essentialia. A definitione autem argumenta quatuor modis eruuntur: nimirum affirmatiue duobus, & negatiue totidem. Maximæ . i. Quicquid prædicatur de definitione, prædicatur item de definito. . ii. De quocumque prædicatur definitio, de eodem & definito. . iii. Quicquid negatur de definitione, & de definito negatur. . iiii. De quocumque negatur definitio, & definitum. Quatuor itidem modis, à definito licebit argumentari. Maximæ . i. De quocumque prædicatur definitum, de eodem & definito. . ii. De quocumque negatur definitum, de eodem & definito. . iii. Quicquid prædicatur de definito, prædicatur & de definitione. . iiii. Quicquid negatur de definito, negatur & de definitione. Descriptio est oratio indicans esse rei per accidentalia, id est per propria, vel per accidentia. Interpretatio est nominis minus noti per aliud magis notum explicatio. A descriptione, & descripto: ab interpretatione & interpretato: eodem modo argumentamur, quo à definitione & definito, ac per consimiles maximas. Sub his autem tribus locis tres alij comprehenduntur. Sub loco enim à definitione, comprehenditur locus à differentia recurrente. Sub loco à descriptione, locus à proprio. Sub loco ab interpretatione, locus à synonymis. Quorum maximæ ferè cum superioribus eadem.

Totum vniuersale idē est quod superius: vt genus respectu suarum specierum, & species respectu indiuiduorum. Fiunt autem argumentationes tum affirmatiuæ tum negatiuæ, à toto vniuersali. Maximæ. I Cum quo cōuenit superius, cum eodem conuenit inferius. II Cum quo nō conuenit superius, nec etiā inferius. Fit quoq; totidem modis argumentatio à parte subiectiua ad totum vniuersale. Maximæ. I Cum quo conuenit pars subiectiua, cum eodem & totum. II Cum quo non conuenit pars, nec totum. Totum integrale est, quod resultat ex partibus quantitatem habentibus. Pars integralis est, quæ cum alijs partibus reddit quantitatem totius. A toto integrali fiunt argumentationes ad singulas partes tantū affirmatiuæ. Maxima, Posito toto integrali, poni necesse est & quamlibet partē eius. Ad partes autē minus principales, nō valet argumentatio. Negatiuæ nō valet argumentatio à toto ad singulas partes. Ad omnes vero partes simul sumptas, sub disiunctione, valebit. Maxima, Si totū non est, aliquā eius partem non esse est necesse. A parte integrali ad totū valet argumentatio à negatione singularū partiū, ad negationē totius. Maxima, Ablata parte aliqua principali, totū esse nō potest. A partibus si gillatim nō ducitur argumentū affirmatiuæ: ab omnibus tamen coniunctim ducitur. Maxima, Positis omnibus partibus, necessario ponitur

totum. Totum in quantitate est, vniuersale vniuersaliter sumptum. Quod à toto vniuersali solum differt, quod cum signo vniuersali semper accipiat. Propter quod à toto vniuersali & à toto in quantitate omnino eadem fiunt argumentationes. Totum in modo est vocabulū per se captum, nullaq; determinatione restrictū. A quo nunc affirmatiuæ nūc negatiuæ cōtingit argumentari. Maximæ. I Cū quocunq; conuenit totum in modo, & pars. II Cum quocunq; autem non conuenit totū, nec pars. A parte vero ad totū ex opposito fiunt argumenta. Totū in loco nominatur, quod vniuersaliter omnem locum significat. Quod in tempore totū vocatur, tempus significat vniuersaliter. Sumuntur autem argumēta per hos locos affirmatiuæ & negatiuæ. Maximæ. I Cum quo conuenit totū in loco aut tēpore, cum eo & pars. II Cū quo conuenit pars, cū eo & totū. III Cū quo autē totū nō conuenit, nec pars. IIII Cū quo pars non cōuenit, nec totū. Affirmatiuæ ab vna parte nō valet, ab omnibus simul sumptis valet. Causa, est ad cuius esse sequitur aliud. Causarū alia est materialis, alia formalis, alia efficiens, alia finalis. Causa efficiens est, à qua primo fit motus, vt aliquid fiat. Efficientiū alia necessaria, alia sufficiens. Maximæ hæc sunt. I Posita causa efficiente, ponitur effectus eius. II Ablata causa efficiente, necessario aufertur & effectus. III Posito effectū poni

tur & causa ad talem effectum necessaria. IIII
 Ablato effectū, auferitur & causa. A sufficientibus autem causis affirmatiue & ab earundem effectibus negatiue solum. Materia est ex qua aliquid fit. Et duplex est: quædam permanens, & quædam transiens. Materia permanens dicitur, quæ in re postquam effecta est permanet in sua natura. Transiens autem materia est, quæ secundum suam substantiam non manet in re effecta, sed mutatur & formam accipit aliam. A quarū vtriusq; consimili modo affirmatiuum trahimus argumentum. Maxima, Posita causa materiali, possibile est effectum poni. Negatiuum vero à permanente tantum. Maxima, Remota causa materiali permanente, remouetur effectus. Ab effectū ad causam materialem affirmatiue solum argumentamur: & in permanente quidem ab esse ad esse, in transeunte ab esse ad fuisse. Maxima. I Posito effectū causæ materialis permanentis, ponitur simul & causa. II Posito effectū causæ materialis transeuntis, necesse est materiam ipsam præfuisse. Causa formalis, est per quam aliquid fit. A qua argumentamur tam affirmatiue quàm negatiue. Maxima. I Posita causa formali, ponitur effectus. II Remota causa formali, remouetur & effectus, Ab effectū ad causam valet etiam vtrinque argumentatio. Sub loco à causa formali concluditur locus vulgo dictus ab inesse

ad denominare. Maxima, Vnumquodque subiectum à forma inexistente denominari debet. Porro à causa formali vniuscuiusque rei virtutem metimur. Maxima, Tantum vnaquæque res potest, quantum eius forma naturalis permittit. Finis est gratia cuius aliquid fit. A causa finali argumenta fiunt, in prædicatis, bonum & malum. Maxima. I Cuius causa finalis bona est, ipsum quoque bonum est. II Cuius finis malus est, ipsum quoque malum est. Fit etiam ab effectū causæ finalis argumentum ad causam. His finitimi sunt loci à generatione, corruptione, & vsibus. Fiunt autem ab his locis argumenta, iuxta communem modum in prædicatis bonum & malum. Maxima, Cuius generatio siue acquisitio bona est, ipsum quoque bonum est. Cuius generatio siue acquisitio mala est, ipsum quoque malum est. Econuerso quoque valet à genito ad generationem. Cuius corruptio vel perditio bona est, ipsum est malum. Cuius corruptio vel perditio mala est, ipsum est bonum. Econuerso quoque valet à corrupti vel perditii bonitate, ad malitiam corruptionis, siue à malitia ad bonitatem. Ab vsibus quoque iuxta communem modum in prædicatis bonum & malum argumentamur. Maxima, Cuius vsus bonus est, ipsum quoque bonum est. Cuius vsus malus est, ipsum quoque malum est. Ad causas quo-

dammodo pertinent etiam illa quæ appellatur cōmuniter accidētia. In quibus argumēta secundum prius & posterius tractantur. Dicimus autē cōmuniter accidētia, illa quorū alterū vel semper vel ut plurimū ad alterū sequitur. Per posterius quidē affirmatiue. Maxima, Cōmuniter accidētiū si posterius est, prius fuisse necesse est. Per prius vero negatiue. Maxima, Cōmuniter accidētiū si prius non fuerit, nec posterius erit. Huc referri possunt argumenta quæ à naturalibus signis & physiognomicis sumuntur. Hæc de intrinsicis: deinceps de extrinsecis locis dicendum. Ac primū de oppositis, in quibus generaliter valet argumentatio negatiue. Maxima, De quocūque affirmatur vnū oppositorū, de eodē negatur alterū. Ex loco à relatiuis, procedimus ab vnus positione ad positionē alterius, atque item ab vnus negatione ad negationē alterius. Maxima, Posito vno relatiuorū, ponitur & alterū. Ablato vno relatiuorū, aufertur & alterū. In contrarijs ab vnus affirmatione ad alterius negationē, valet argumentatio. A negatione vero solū in immediatis. Id' que dūtaxat in proprio susceptibili. Maxima, Contrariorum si vnū subiecto alicui inest, alterū nō inest. Immediatorum si vnū proprio susceptibili nō inest, alterum inesse oportet. In priuatiue oppositis, ab affirmatione ad negationem fit argumentatio. A negatione non fit nisi in proprijs susceptilibus. Ma-

ximæ, Priuatiū si vnū inest, alterū nō inest. Priuatiū si vnū proprio susceptibili nō inest, necesse est alterū inesse. In contradictorijs ab affirmatione vnus ad negationē alterius & contra tenet argumentatio. Maxima, De quolibet est affirmatio vel negatio, de nullo vero simul. A disparatis quoque sicut ab oppositis sumuntur argumenta, ab affirmatione vnus ad negationē alterius. Ea sunt quæ etsi nō opponantur, de eodē tamē simul prædicari non possunt. Maxima, Cuicumque cōuenit vnū disparatorū, eidē nō cōuenit alterū. Sequitur cōparatio quæ est, interdū maioris ad minus, interdum minoris ad maius, interdū similis ad simile. Maiusq; in præsentiarum dicitur quod maiore habet probabilitatem, & minus quod minore. Fit autē à maiore negatiue tantū, idq; vel in subiecto, vel in prædicato, vel in subiecto & prædicato simul. Omnium autem vna est confirmatiua maxima. Si id quod magis videtur non est verum, neq; id quod minus videtur, verum erit. Aristoteles vero singulis modis singulas assignat maximas, dicens: Vno de duobus dicto, si cui magis videtur inesse non inest, nec cui minus videtur inesse inerit. Duobus de vno dictis, si quod magis videtur nō inest, nec quod minus videtur inesse inerit. Duobus de duobus dictis, si quod alteri magis videtur inesse non inest, nec reliquum reliquo inerit. Totidem modis à minori argumenta-

mur, sed affirmatiue. Omnium modorum vna confirmatiua maxima potest hæc assignari, Si id quod minus videtur, verum est: id quoq; quod magis videtur, verum erit. Secundum vero Aristotelem tribus diuersis modis tres diuersæ assignantur hæ maximæ: Vno de duobus dicto, si cui minus videtur inesse inest, etiam illi cui magis videtur inesse inerit. Duobus de vno dictis, si id quod minus videtur inesse inest, etiam id quod magis videtur inesse inerit. Duobus de duobus dictis, si quod alteri minus videtur inesse inest, & reliquum reliquo. Similia dicuntur quæ æqualem veritatis apparentiam habent. Locus à simili valet tum ad cõstruendum, tum ad destruentum. Maxima, De similibus idem est iudicium. Sub hoc autem loco continetur locus à proportione: & locus à transmutat a proportiõe. Maxima, De proportionabilibus idem est iudicium. Item, Quod in vnaquaq; re euenit, id in eius proportionali euenire necesse est. Si vt primum ad secundũ, ita se habet tertium ad quartum: & primum ad tertium se habebit, vt secundum ad quartum. Ex opposito constitues locos à dissimili, & disproportionem. Locus ab autoritate solum valet ad cõstruendũ. Maxima, Vnicuiq; experto in sua scientia credendũ est. Item, Quod omnibus vel pluribus vel maxime sapientibus videtur, ita se habere probabile est. Transumptio definitur esse quoties nomen

translatiue sumptum, per proprium explicatur. Maxima, Quicquid alicui conuenit sub nomine translatiue, eidem & sub proprio cõueniet. His breuiter declaratis ad medios locos transeamus oportet. Coniugata sunt denominans & denominatiuum, casus vero plura denominatiua inter se comparata. Quæ differentia sæpenumero confunditur. A casibus & coniugatis argumenta trahuntur tum affirmatiua tum negatiua. Maxima, Quod vni conuenit coniugatorum, & alteri conuenit. Item, Coniugatorum in eo quod coniugata sunt, vna est eademq; natura. Si coniugatorum vnum vni conuenit, & alterum alteri conueniet. Casuum in eo quod casus sunt, eadem est natura. Est autem diuisio, distractio alicuius totius in plures partes. Distinguitur autem ab authoribus sextuplex diuisio. Prima est, diuisio generis in species. Secunda, diuisio totius integri, in suas partes integrales. Tertia, diuisio vocis in significata. Quarta, diuisio subiecti in accidentia. Quinta, diuisio accidentis in subiecta. Sexta, accidentis in accidentia. Loci à diuisione. Maxima, Cum quo conuenit diuisum, cũ illo necesse est aliquod membrorũ diuisiũ conuenire. Cui cõuenit vnũ membrorũ diuisiũ, de eodẽ reliqua omnia negari necesse est. Possent quoq; & alij signari loci ex Aristotele, quorũ in præcedentibus nõ est facta mentio: verũ qui nũc enumerati sunt, præcipui vidẽtur.

Sexta pars &

*postrema, de sophisticis elenchis,
hoc est redargutionibus.*



PRINCIPIO circa hanc partem admonendum est, non in hunc usum istam tradi sophisticorum locorum scientiam, ut ea falsim & ex proposito utamur ad aliorum deceptionem aut falsitatis defensionem, veritatisque oppugnationem, sed ut per eorum considerationem, latentia in argumentis contra veritatem obiectis, vitia faciliusprehendamus, & expeditius dissoluamus. Definitur autem elenchus ab Aristotele, hoc modo: Elenchus est syllogismus, cum conclusionis contradictione. Disputationum quatuor sunt genera. aliae enim sunt doctrinales, aliae dialecticae, aliae tentatiuae, aliae litigiosae. Doctrinales disputationes sunt, quae ex proprijs cuiusque disciplinae principijs, & non ex his quae videntur respondententi, syllogizant. Dialecticae disputationes sunt, quae ex probabilitibus collectiuae sunt contradictionum. Tentatiuae disputationes sunt, quae ex his sunt quae videntur respondententi, & quae necesse est eum scire qui se simulat habere scientiam. Litigiosae disputa-

tiones sunt, quae ex his quae videntur probabilia, non sunt autem, syllogizant. Sophistarum quinque sunt fines: Redargutio, falsum, inopinabile, solocismus, nugatio. Redargutio fit, cum respondens cogitur oppositum eius quod dixit concedere. Qui & ad falsum ducitur, cum cogitur aliquid falsum asserere. Ad inopinabile, cum argumentorum vi concedit quod ab auditoribus improbabile iudicatur. Ad solocismum, quando cogitur contra consuetum modum loquendi peccare. Nugatur autem, quando saepius idem repetit inutiliter. Fallacia (id est locus sophisticus) est modus quidam idoneus ad decipiendum respondentem, per argumentum sophisticum. In uniuersum autem huiusmodi fallaciae ab Aristotele enumerantur tredecim, quarum sex appellat propter dictionem, septem extra dictionem. Fallaciae propter dictionem sunt, fallaciae aequiuocationis, amphibologiae, compositionis, diuisionis, accentus, & figurae dictionis. Fallaciae extra dictionem sunt, accidentis, a dicto secundum quid, ignorantiae elenchi, consequentis, petitionis principij, secundum non causam ut causam, secundum plures interrogationes ut unam. Dicuntur autem fallaciae in dictione, quae causam suae apparentiae sumunt ex parte vocis alicuius in argumentatione positae. Extra dictionem vero, quae causam apparentiae non sumunt ex aliqua voce, sed ex aliqua phantasia

circa rem ipsam. Fallacia igitur æquiuocationis est, secūdū quā contingit fieri deceptionem, ex parte alicuius termini plura habentis significata. Cuius tres modos ponit Aristoteles. Primus est, quādo terminus plura habet significata & que principalia. Secundus, quando terminus habet plura significata non æque principalia. Tertius modus est, quando dictio acquirit plura significata ex parte cōpositionis. Fallacia amphibologiæ est, modus decipiēdi per orationē amphibologicā. Sicut enim æquiuocatio est in simplicibus vocabulis, ita amphibologia cōsideratur in orationibus plures sensus habentibus. Quæ etiam multis modis contingit, sicut æquiuocatio. Tūc dicitur fallacia cōpositionis, quando à sensu diuiso vero, proceditur ad sensum cōpositum falsum. Ex aduerso fallacia diuisionis dicitur, quando à sensu cōposito vero, proceditur ad sensum diuisum falsum. Generaliter vero in his, cōpositio & diuisio cōsiderantur, secūdum situm partium magis debitum vel minus debitum: ut sensus qui sumitur secundum situm partium magis debitum, dicatur sensus cōpositus: qui autem secūdū sensum minus debitum, dicatur diuisus. Quis autē sit sensus magis aut minus debitus, accipere oportet ex iudicio eorum, qui in ratione sermonis siue in arte loquēdi habentur peritiores. Quoties ex accētū mutatione cōtingit deceptio, secūdū fallaciā accētus ea fieri di-

citur. Ad accentū autem pertinent, syllabarum quātitas, aspiratio, modusq; pronūtiandi. Fallacia figuræ dictionis, est deceptio quæ contingit ob vnus vocis cū altera similitudinem atq; conuenientiam. Sed his de fallacijs in dictione ut cūq; tractatis, ad fallacias extra dictionē explicandas nos cōferamus. Fallacia accidentis tūc cōmittitur, quādo termini videntur adinuicem coniūgi syllogistice & non coniungūtur: id est, quando videtur esse bona forma syllogistica & nō est. Vnde omnes illi mali syllogismi qui peccant cōtra regulas, siue generales, siue speciales supra positas in libro syllogismorum, dicuntur fieri secundum fallaciam accidentis. Dicitur secūdū quid cōmittitur fallacia, quando voci cui piā adijcitur determinatio cum qua de eo prædicatur, de quo seorsum nō posset prædicari. Fallacia ignorantix elenchi fit, cū non penitus natura pernoscitur ipsius elenchi, & conditiones omnes ad verum elenchū requisitæ. Qui hac etiā prolixiori ratione ab Aristotele definitur, Elenchus est contradictio vnus & eiusdem: nō nominis, sed rei & nominis: non synonymi, sed eiusdem: ex his quæ data sunt ex necessitate, nō connumerato eo quod erat in principio: secundum idē, ad idem, similiter, & in eodē tempore. Fallacia petitionis principij tunc fieri dicitur, quā id quod probādū est, ab opponēte tāquā notū, aut probatū, assumitur ad probandum alterum

minus notum vel æque ignotum. Fallacia consequentis est, quando sicut antecedens infert consequens, sic vicissim consequens creditur inferre antecedens: vel ex antecedentis opposito, consequentis oppositum inferri. Secundum non causam vt causam fiunt paralogismi, quando falsitas illatæ conclusionis imputatur alicui præmissarum, quæ non est causa falsitatis conclusionis. Fallacia secundum plures interrogationes vt vnam (quæ positæ ab Aristotele est postrema) fieri dicitur, quod ad plures interrogationes vt ad vnam respondeamus, ob id que decipiamur.



Lugduni,

IOANNES BARBOVS
EXCVDEBAT.

